

Illustrissime Domine Comes,
 nob

atque Superq; de equanimitate atq; benivolentia Excel-
 lentia vestra convictas nos sentimus, quod pro eo, quo
 flagrat, justitia administranda amore atq; zelo in causa
 nostra, spoliū vidualitiarum nostrarum prefectura-
 rum concernente, penes Regis Poloniae Majestatem
 eo allaboraverit, ut Majestas sua contra Dominum
 Ferdinandum Curlandiae Ducem, nos a jure quasito
 acquieta possessione violenter atq; ^{contra} leges disturbare
 conantem artificiosas literas inhibitorias et resti-
 tutorias emittere decreverit. Et sicuti pro
 hoc testato estimatissimo pronosq; erga nos affectu
 gratias, quas possumus, maximas referimus;
 Ita justitiam dicte causae nostrae Excellentiae Vrae
 pretiosissimo favori et patrocinio porro commendatam
 esse volumus, Eamq; literis hinc enixe eflagitantes
 velit de hinc quoq; processum eo juris legitimo trami-
 ne dirigere, ut praefatus Dominus Dux, si forsitan post
 habita reverentia Regis Mandatis debita a turba-

tionibus desistere, et praefecturas nostras Grobi-
nensem et Chirundensem temporis spacio a se
praefinito restituere adhuc detrectet, per media
compulsoria decernendamq; executionem prom-
tissimam ad restitutionem decenter adigatur. De-
cetero ut nobis quoq; quam primum occasio se offe-
rat, qua vestra Excellentia promptitudinem no-
stram per quaecumq; grata officiorum genera
evidenter declarare possimus, calidissimis vo-
tis optamus, grata obstrictaq; mente constantem
perseverantes

Excellentiae Vestrae

Edicta et ad quae
officia paratissima
Elisabetha Sophia

Coburgi in arce Chrenburg
D. 19. Februarij 1715.

Illustrissimo et Excellentissimo
Domino Joanni, Comiti in Slesow
Szembek, Supremo Regni Cancellario
Pario Zomzensi, Graudentinensi,
Capitaneo.

Varavia.